



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Franciæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67721)

Dum cunctatur mandata exequi, timore deterritus in febrim incidit, quam ille pœnam tarditatis interpretatus, statuit, vbi primum conualuerit, rem totam exponere patri; mirum dictu! illico confanescit; Aperit parenti animum; Hic enim uero versare iuuenem incipit omnem in partem; circumueniunt inermem militē parentes, amicique vniuersi; obtunditur vndique, hinc lachrymis; hinc minis per mensem integrum: vbi omnes aditus clausos videt, sumit à desperatione consilium; rem ad tempus dissimulat; alia omnia in animo, in ore habere; animum eum omnem Religionis abiecisse à se existimabant; ad studia eum sua conficienda mittunt, mire securi, vt sibi quidem videbantur. Ceterum iuuenis, vbi iugum, exuit importunæ affinitatis, Christi iugum subiit, volens, ac libens, magna cum omnium gratulatione.



P R O V I N C I A
F R A N C I Æ.

RESTITUTA in Galliam Societate nostra summo Dei beneficio, & Regis Christianissimi benignitate ac beneuolentia, qua nostrū ordinem complecti mirifice cœpit; nouam hoc anno specim habire visa est hæc Franciæ Prouincia, quatuor aucta Collegijs, & domo insuper professa. Numerauit itaque in domicilijs omnino decem, socios ducentos septuaginta octo. Morte sublatis tres: admissi quadraginta.

DOMVS

DOMVS PROFESSORVM
PARISIENSIS.

CVM Christianissimo Regi Henrico quarto Societatem nostram, suis in Gallia sedibus restituere placuisset, edictum, quod eam in rem Rothomagi mense Septembri, anni superioris millesimi sexcentissimi tertij, scribi iusserat, continuo ab omnibus supremis Senatorum curijs recognitum, receptum, ac promulgatum est; à sola Parisiensi dilatum est aliquantulum, ac reluctatum: sed huius anni tandem Ianuario mense, die secundo, Rege instante atque urgente, decretum in eandem sententiam fecit: qua in re, tanta Principis optimi prudentia, & sapientia in nobis defendendis, aduersarijs refellendis eluxit, vt principes, ac senatores in sui admirationem, stuporémque traduxerit; sic, vt negarent posse quemquam ex nostris, qui institutum Societatis penitus nosset, quive eius defensionem diu meditatus esset, accuratius aduersariorum nostrorum argumenta refutare. Quid illud? cum ab ijs, qui interfuerant, admonitus P. Petrus, Cotonus, eius pedibus aduolutus, nomine Societatis gratias eius Maiestati ageret, plura se præstiturum nostra causa respondit, ac patronum, protectoremque nostrum futurum, sedulam modo fidelémque operam eius obsequio nauaremus. Gerebantur hæc maxime, summo, vt existimare par est, capitalis hominũ hostis, vel dolore, vel metu, cū ecce tibi, illo instigante, die decimo tertio eiusdẽ mensis P. Cotonus
domum

domum primis tenebris rediens, ab ignoto iuue-
 ne gladio vlneratur. Is, ne quid frustra auderet,
 neue certa audacia parum certum vulnus infer-
 ret, caput in rhedam, antè, qua pater cum socio
 vehebatur, exploraturus immiserat; destinato
 ictu reducit se post rhedam, & quod illa eius parte
 pater considerat, ferro per eam adacto, patri à
 tergo mucronem in collum, & guttur immergit.
 Atrox facinus medio in Regiæ vrbs finu, sed cu-
 ius authorem fuga & tenebræ texerunt, Patre
 multum sanguinem, crudum ob vulnus eiectan-
 te. Et occiderat, nisi, quæ Dei benignitas fuit,
 saluis ad miraculum & venis, & arterijs, turò in-
 ter eas perlapsus ensis, viam inuenisset, plaga lu-
 culenta magis quàm lethifera. Exciuit hæc res,
 statim atque in Regia de ea est auditum, Regis ac
 procerum studia; adeo prolixè & vehementer, vt,
 cum vndatim domum ad nostros à primarijs viris
 solatij causa adiretur, Rex ipse veritus ne densa
 illa interpellantiũ turba, vulnere importuna esset,
 suam, ne quis temere, vel importune adiret, au-
 thoritatem interponendam esse censuerit; ipse
 Regios à se, Reginaque coniuge, pari studio de
 nostri hominis salute laborante, Medicos, Chi-
 rurgos, pharmacopolas submiserit. Parum id vi-
 sum: Etiam illud Regiæ munificentia ab vtroque
 est additum; donec Medicorum ea res esset, Re-
 gijs ille vt medicamentis Reginæ medicorum
 manu curaretur, cibi quotidie illi ab Regis, aut
 Reginæ mensa inferrentur; neque alijs vero, quod
 regi obtemperandum erat, interea est vsus. Dice-
 rem quanta omnium cœtuum, ac Collegiorum,
 Sacrorum, profanorum laboranti in re, beneno-
 lentia in eum extitit, nisi istam omnem amoris

vim superasset Regis in ipsum paterna caritas, cum diceret, se quidem illius vulnere dolere amice, & familiariter; At in hoc mœrore animi, sibi id solatio esse, quod materiam nactus erat testificandi amoris in eum sui, & quod ea res ipsa, quæ nostri odio ab inimicis conflata erat, occasionem tanti ardoris in Sacerdotem nostrum omnibus ordinibus præse ferendi attulerat. Nec diu hostis conatu suo lætatus est; vulnus regia ac Medicorum ope octiduo sanatum; Pater pristinae valetudini, Regi, regno, religioni, concionibus est redditus, magna nimirum bonorum lætitia, mœstitia improborum. Concionatus est idem pater quadragesimæ tempore, in aula regij palatij coram Rege, ac Regina, magno omnium aulicorum concursu; alijsque anni temporibus, in diuersis vrbis templis, quorum Rectores certatim à Rege, vt apud suos concionaretur, impetrarant. Sed cum frequentibus illorum precibus satisfacere vnus non posset, Rex aduocari P. Ioannem Gonterium iussit, sibi ex eo cognitum, quod coram amita ipsius Eleonora Borbonia, fontis Ebradij Abbatissa, per aliquot menses conciones habuerat. Is cum in vna ex nobilioribus parœcijs, verba ad populum frequenter faceret, multos in fide confirmavit, ab errore alios ad iter salutis conuertit, & incredibilem Ciuium in nostrum ordinem amorem, ac fauorem excitauit. Ergo hi Patres spectati iam abunde, & cogniti, cum aliquot è nostris præterea, qui in conducta domo Regiæ vicina habitabant; Regis permissu, ac sub D. Ioannis Baptiste festum, retulerunt se in antiquam professa Societatis nostræ domum, quam ante annos amplius viginti, Regis patruus, magnus ille Cardinalis

nalis

nalis Carolus Borbonius nobis in hac vrbe collo-
 carat. Ei ornandæ, vt sacram supellectilem nostri
 nouam comparare, templi pauimentum quadro
 lapide absoluere, reliqua, quæ opus essent, orna-
 menta coëmere possent, non exiguam pecunie
 vim illis Christianissimus Rex, nostrique ordinis
 amantissimus, numerari iussit. Quod exemplum
 secuti nonnulli ciues, alijque viri primarij, suis il-
 lam sacris donarijs auxerunt; neque defuerunt e-
 dium sacrarum præfecti nonnulli, qui sacras ve-
 stes nobis olim ereptas, & in aliorum templorum
 vsum distributas, nobis perhumaniter restitue-
 runt. Fuit & priuata domus supellex, & omne
 domesticum instrumentum, ex collatis vltro elec-
 mosynis comparandum: quas multo etiam quàm
 olim copiosius, ac liberalius Parisienses congesse-
 runt, ac tanto impensius, quo ægrius antea se no-
 strorum subsidio, & salubri opera caruisse multis
 annis meminerant. Hoc eodem anno, exeunte
 Aprili mense, aliud Senatus consultum à Curia
 patribus obtinuimus, quo in integrum restitui-
 sumus, omniumque redituum, ac bonorum mo-
 bilium simul, & immobilium possessio nobis est
 reddita, quæcumque à Magistratu in alios vsus
 non conuersa fuisse constabat: Ex quo tempore
 cœpimus & Collegij Claromontani, & aliorum
 Regni Collegiorum reditus colligere, qui ex pu-
 blico Parisiensis vrbs censu numerari solebant.
 Numerus eorum qui domum hanc Professorum
 incoluerunt, vt diuersus fuit, ita vltra sexdecim,
 vel octodecim non excreuit. Templum cuius sar-
 ra recta nonnihil instaurata sunt, noua altarium
 consecratione, noua benedictione pristino nitore
 restitutum est, sacris operante Reuerendissimo
 Syluanectensi

Syluaneſi Epifcopo, viro de toto ordine noſtro bene merito, atque in illum optime affecto. Celebratum eſt deinde menſe Auguſto magno omnium concurſu, feſtum B. Ludouici (cuius in patrociniſ, ac tutela templum noſtrum eſt) ſacros hymnos concinentibus Regij vtriuſque ſacelli Muſicis, ac ſymphoniacis pueris, Principis ipſius mandato, qui & in templum ipſe cum Regina religioſe adiit, & ſolemne Calendis Ianuarijs in noſtris ædibus indulgentiam pie promereri ſtudit. Caruit poſt vrbe menſibus aliquot, ad quam reuerſus, vnà ad publicam ſui in nos animi teſtificationem rediit. Omnes è noſtris, qui Luſetia iter habebant, & ad alia Collegia proficiſcebantur, deduci ad ſe, ſibi ad aſpectum congreſſumque ſiſti voluit, quos varijs de rebus pro ſua quemque profeſſione interrogans, vt in inſtituto curſu pergerent, ſuaſque ſedulo partes obirent, hortabatur. Et vero quosdam, de nonnullis conuerſis hæreticis verba facientes libenter audiuit, nec villo iucundiori ſuas aures acroamate ſiuit oblectari, quàm ſi quis nobilem virum, aut inſignem aliquam perſonam ab hæreſis laqueis expeditam renunciaret, atque ab errore ad meliorem mentem, voluntatemque eſſe traductam. Scriptis autem libris, & concionibus aſſiduis, placidiſque congreſſibus allici potius optat, quàm vi, aut armis adigi, vllaue ſermonum acerbitate ad Catholicam fidem hæreticos compelli; quem ad agendi morem cum noſtros, tum aliorum Theologos ordinum excitauit: neque ceſſat eximia ſuæ beneuolentiæ ſigna in noſtram Societatem exhibere, quam nunc cognitam tanto vehementius amat, quanto acrius incognitam ſibi, & calumniatorum

E e

torum

corum figmentis traductam olim auersari videbatur. Nuper etiam cum frequenter audiendi fieri causa, nostrum in templum ventitaret, protectorem se nobis fore ac vindicem, contra omnium aduersariorum impetus, non semel professus est. quod re ipsa præstitit, cum ipso omnium Sanctorum festo die vicinus parochus sub ipsa diuina, in sacram ædem nostram turbulenter irrupisset, & populum à sacra Communionem nostris sacerdotibus percipienda prohibuisset. Quod permolestum sibi ac peracerbum fuisse Rex humanissimus confirmauit, simulque Episcopo Parisiensi grauius mandauit, vt huiusmodi impedimenta studiose amoueret, caueretque ne quid incommodi, nostri paterentur. Cum ita in Galliam haberent Lusitani quidam Patres nostri, refectam odoribus ex India aduectis arculam perhumaniter accepit ab illis oblatam, laudatamque munus ad Reginam statim misit, & quam amore Religiosos Societatis nostræ ex omnibus nationibus conflata complecteretur, palam status est. Si quem videat, audiatue de nostrorum fama detrahentem, enimvero vt in nostrum se familiaritatem insinuet, cohortatur: Non illos, inquit, eos cognitos non amare non poteris; Nam simul atque te in eorum consuetudinem immiseris, & has peruersas opiniones conues, & odium in studium, amoremque conuerres. Conuersi hæretici amplius duodecim, reconciliati inter se, & nobis infensissimi non pauci.

COLLE-

COLLEGIVM MVS-
SIPONTANVM.

E nostris habitantur hic, ad mensem quidem Septembrem, octoginta tres; deinceps septuaginta duo: quod ad antiqua Collegia varie in Prouincia restituenda, & noua inchoanda, emissi sint ex hoc Collegio non pauci. Ex Collegij auditoribus, decem admissi sunt; ex alijs, Coadiutores tres. Obijt in Domino, sexto Aprilis, P. Thomas Darbisphirus, professus quatuor votorum, annis plenus, & meritis. Vixit annos fere nonaginta quinque, vir placidus, & comis, natione Anglus; in Anglia olim Episcopi Londinensis nepos, pro Catholica fide, primis Elizabethæ Reginae temporibus, in carcere habitus, miraculo, (quod compertum postea est) in ipso carceris tædio, à Domino confirmatus imaginis obiectu, Christi sanguine manantis, quæ ex intimis adibus primarij ciuis, ad quem nonnulla carcerum cura spectabat, aliarum è numero diuinitus derepta, subito ad hæretici carceris parietem fixa emicuit. Carcere solutus cum ex Anglia, atque ex vestigantium manibus lepido vestitu, & artificio elapsus, iam in Belgio ad Religiosi instituti deliberationem animum adijceret, nutaretque inter Carthusiensium ordinem, & nostrum, diuino monitu ad Societatem inclinauit. Nam oranti illi, vir clausis cubiculi foribus, tamen affans, atque colloquens, tu quidem, inquit, Carthusianus si eris, salutis tuæ consules; sed vbi futurus est proximus? simulque cum ea voce, excussa

Ec 2

omnis

omnis deliberatio est. Complexus est hominem Societatis candidatum, atque in eam recepit bonæ memoriæ R. P. Laynes, tum cum Tridenti ageret, à quo Romam ad probationem submissus, inde reliqua vita in Germania, Gallia, Lotharingia, magnæ sanctitatis laude versatus, multum & nostris, & externis profuit: Nostris Magister Nouitiorum, domesticus confessarius, & rerum spiritualium præfectus: Externis, nostrisque, partim doctrina Christiana, cuius tradendæ munere se eminebat, vt non iuuentus solum iucundissime eo Doctore, ac libentissime vteretur, magno cum fructu, sed nobiles Theologi Catecheticas lectiones eius, scripto exciperent publice; partim exercitijs spiritualibus scite tradendis; partim egregia spirituum discretione; partim denique familiarum colloquio, & comi, & prudente, quod diuinis laudibus, pijsque animi sensu aspersum pietatem colloquentibus afflaret: fuitque dum in viuis fuit, vbiicumque potuit, Parisijs præsertim ac Rhemis Anglorum pro Catholica fide exulantium singulare & præsidium, & solatium. Rhemis dici vix potest, quam bonus odor Societatis fuerit. Illud interea simile miraculi fuit, quod perniciali malo tibiam occupante, quo tempore medicorum de tibia secanda denuntiatio expectabatur, precibus periculum depulit, quibus se geminis Apostolis, quorum tum solennis dies agebatur, ad subsidium commendarat: signis melioribus medicorum ad mitiorem sententiam de seueriore illa decidentibus. Viginti sex hoc anno apud nos in exercitijs habiti; in ijs viri sacra & profana nobilitate illustres; interque eos, Prouincialis præpositus vnus Religiosorum hominum amplissimi, & vetustissimi

vetustissimi ordinis. Auditores in classibus nostris mille quadringenti numerantur. Acta vicesima secunda Nouembris Iuliani Tragœdia non sine apparatu. Præmia diligentioribus de more distributa munificentia Baronis de Molembay, qui illustrissimi in Belgio comitis de Solre filius honorificum sibi purauit esse, quo in collegio annos aliquot literis institutus esset, in eo literarum cultores præmijs ornare.

COLLEGIUM VIR- DVNENSE.

HABUIT hoc anno Collegium hoc Socios fere viginti quatuor, muneribus diligenter & vtiliter occupatos. magnus confitentium & communicantium numerus: instituti ad Baptismum Turcæ duo: restituti Ecclesiæ nonnulli: multorum subblatis, extinctisque odijs reconciliata gratia. Puella, cui occasione mæroris cuiusdam, dæmon Æthiopis forma laqueum porrexerat, salubri nostrorum consilio leuata est. Spiritualibus exercitijs exculti, in celebri quodam monasterio, Religiosi omnes, magno cum fructu. Decessit hoc anno P. Heruas Toruncius huius Collegij rector, annos natus vndequadraginta, quorum in Societate viginti quatuor posuerat: decem minimum in hoc Collegio, casibus conscientiarum exponendis: magnum virtutis exemplum nostris, magnum sui desiderium externis reliquit. Erat enim vir apprimè versatus in tractandis hominum mentibus, ea sermonis hilaritate in congressu, morumque suauitate, quæ facile omnium animos ad se attrahe-

ret. Exitus vitæ consimilis fuit. Discessit à suis singulorum manus exosculatus, qui pedes non poterat. Obiit aliquot post mensibus, P. Furcaus Fremicurtius, cuius hoc insigne humilitatis argumentum, quod à superiore sæpius magnis precibus flagitavit, se vt in pauimento, vel certe in stramine, pateretur emori, identidem hoc repetens, se nulla re alia dignum esse, quam vt defuncti corpus, vt pote miserimi peccatoris, in cloacam proijceretur.

C O L L E G I V M B I - T V R I C E N S E .

HO c tandem anno Societas postliminio reuerfa, quam Bituricensium charitatem in ipso discessu perspexerat, rursus experta est, non potius ardentio rem demirata. Vt enim abeuntibus nostris, omnes omnium ordinum defleuerant plerique munusculis benevolentia testibus ornabant, nonnulli & ad multa passuum millia profecti fuerant, ac illustrissimus ipse nobilissimisque vir D. Castræus Francia plemarchus feciales curarat, qui rutos deduceret. Absentibus portu villæ, ædes, sacra supellex, bibliotheca conseruata: sic reditum omnes mirifice expetierunt: clarissimi viri à Christianissimo Rege, altero nostra Societatis parente, magnis sumptibus, ac molestijs, vel itinerum, vel curarum impetrauerunt impetratum auctoritate sua texit idem, qui conseruauerat, Illustrissimus Plemarchus, & amplius vicenis passuum millibus ex composito Bitungas aduenit, vt nos ex Regis edicto restitueret; vna ad

adfuit ingens nobilium numerus, etiam eorum, inter quos graues, diuturnæque simultates exarserant, vt idem dies nobilissimas familias nouæ necessitudinis vinculo coniunxerit, qui nos reddidit ciuitati. Ciuitas ad extremum non modo pristinos Collegij reditus magna accessione cumulauit, sed etiam insignem pecuniæ vim ad instaurationem ipsius, & domesticæ suppellectilis attribuit.

COLLEGIUM DOLANVM.

LAxatum spatium ædibus centum quinquaginta pedum: erecta porticus: templi etiam propyleum, ex porphyretico marmore: & ad suppellectilem sacram non nihil accessit. Ex quatuor B. Virginis Sodalitijs vltimum (quod hominum est rudium & imperitorum) singulari pietate excellit. Exempla huius pietatis sunt: Vnus ex his, cum quicquid domi habebat, domum in super ipsam flagrantem incendio, ex agro reuersus, fortuito offendisset, non modo moderate tulit, sed in genua procidens, sancti Iobi memor, in hæc verba prorupit: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum, tanta cum animi constantia, vt qui tum misero, & miserando aderant spectaculo, singularem in deploratis rebus patientiam mirati, non dubitarent calamitosis huius virtutem, ditiorum fortunis anteferre: sed nec tantum suos Deus immortalis tanquam aurum in fornace igne tentat, miscet interdum amaris dulcia. Itaque de hac imperita, sed grata

Ee 4

tamen

tamen Deoque chara multitudine, vnus ardentissima febris iactatus, cum aliquot dies iacuilset, festoque die horas recensendo, eam in animo designasset, qua coguntur, & in facellum conueniunt Sodales, sic morbum fugauit: Egone, inquit, cæteris coëuntibus decumbam, & hic oclabor iners? Surrexit impiger, & (dictu mirum) et tam molesta, & incommoda valetudine alacriter emerfit, abiitque illico Deiparæ, Sociorum in conspectu, gratiam habiturus. Iam tertius eiusdem cæli Reginae cliens, nec minus strenuus, cum Christi natalis peruigilio, intempesta nocte, sacris operanti sacerdoti adfuisse, seseque domum recepisset, vbi die illucescente quibusdam se carnis stimulis agitarum comperit; experretus, & salutaris cibi sumptione reiecta in crastinum, vrbe egressus, positisque vestibus, sese in niues (quarum magna esse solet post hybernum solstitium copia) immergere non dubitauit: vt si quid voluptatis inuito susceperat animo, tam vrentis frigoris dolore libenter suscepto tandem castigaretur. Hæretici duo ad rectam fidem adducti; sacris exercitationibus quidam exculti. Inter multos quidem, sed præcipue inter fratres duos acerbissima sedata odia. Diaboli periculosa artes detectæ, ac dissectæ nonnunquam. Pia matrona, cui infans filius sexto ab ortu die sacris fontibus expiatus, immatura morte fuerat abreptus, ignoto, vt autumabat, peregrino, iam multos annos, tum vestem, tum pecunias erogabat, eo nomine, vt pro defuncto puero (quem in purgantibus flammis torqueri confirmabat) Romæ sacra fierent, sed esse dæmonem edocta est, tum quo excludendus esset modo importunus

illo

ille hospes vbi accepit, de filij salute reddita est securior. Alius quidam adolescens cum scrinia quædam, & secretiores capsas ad nummos furto surripiendos esset referaturus, nec idonea satis ad facinus suppetere instrumenta, statuerat omnino, si vel dæmon ipse porrigeret, accipere; dictum, factum: ecce tibi in manus veniunt, quæ ante desiderabantur, sed vbi sceleris hominem pœnituit, quæ vltro tradita in manus venerant, visa deinceps non sunt.

COLLEGIUM VE- ZVNTIONENSE.

IN Collegij ædificationem, & ornatum, cæterisque vsus varia à diuersis collata. Reuerendissimi & Illustrissimi Archiepiscopi in nos extat beneuolentia, qui à R. P. Prouinciali obtinuit, vt aliquod è nostris Diœcesim suam cum R. Suffraganeo visitarent, quod quidem centum triginta iam annis neglectum fuerat, & nunc primum varijs tandem superatis difficultatibus inchoatum. Baro quidam plurimis mortiferisque vulneribus affectus, cum aliquot superuixisset dies, sæpius à nobis Sacramento pœnitentiæ munitus, sæpe solemniter percussori, nostrorum impulsu, veniâ datâ, & à suis in eius gratiam obnixe postulâtâ, nostris, quos viuus dilexerat, moriendo minime obliuioni traditis, in nostrorum manibus, quod vehementer flagitarat, excessit è viuis. Tertio Ianuarij tres Sodales virginis Assumptę, dum pietatis causa, carcere detentos inuiserent, falso accusati, quasi facinoroso cuidam viam aufugendi eperuissent,

aperuissent, in carcerem coniecti sunt; in quo orato fuerunt dies, tanta cum animi lætitia, & desiderio patiendi pro Christo, vt qui eos viderent, maxime mirarentur: Cognita autem eorum innocentia, magna cum admiratione populi, qui putabat grauissimis pœnis eos afficiendos, liberati sunt; quod totum tribuunt B. Virgini, cui se totos deuouerant. Mense februario textor quidam, eiusdem Congregationis, in periculosissimum morbum incidit, & humorum vniuersas corporis partes permeantium tanta vis fuit, earum vt vsu nouem aut decem dies destitutus omnino remanserit. Inuisit eum alius Sodalitatis de suo morbo commonesceter, peteretque vt se Sodalium omnium precibus commendaret: quo dicto tantam fiduciam in B. Virgine, precibusque Sodalium posuit, vt melius habere coepit; & quo tempore pro eo fusæ sunt preces in congregatione, eodem ei omnino restituta sit sanitas. Redit mater è concione, & quem reliquerat ægrum, & in lecto iacentem, videns solum domi inambulantiem, valde attonita, vnde Iesubone, tam subita sanitas? Sodales mei, respondit, orarunt pro me in congregatione: deinceps autem optime valuit. Confessus est publice in ipsa congregatione, se non aliter, quam precibus B. Virginis, & Sodalium impetrasse sanitatem. Missiones ex hoc Collegio, Aduentus & Quadragesimæ temporibus duæ fuerunt, quæ Vesulum, Bahliamque insignia oppida excoluerunt, insigni fructu. In Vesulensi præter cætera hoc contigit: vxor aduocati Regij prægnans ita periclitabatur, vt propter euidens periculû perituri fœtus ferro exdenda

cædenda à medicis iudicaretur. Adhibito nostrorum labore, applicatisque SS. reliquijs fœtus quadrimestris (qui fractis vinculis ad vteri ima defluerat) attonitis admiratione medicis sensim in pristinâ sedem restitutus, signa vitæ edidit, & mater semimortua vigorem resumpsit. Tertia quoque missio Mandubium versus. Id nomē oppidi est vrbis antiquissimæ, æque & nobilissimæ vestigijs nobilitati. Nam antiquissimorum Romanorum numismata sparsim in agris quàm plurima reperiuntur: æ diculæ marmoreæ: elogijs titulisque insignes arces: ædes ad tria quatuorue miliaria, sed omnino dirutæ, terraque obrutæ, si quædam arcis monimenta excipias. Locus denique est vnde Romani Imperij Principis nomen Bisuntinus Archiepiscopus obtinet: sed dispar est incolarum ingenium, dispar Religio, cum sit Mombeliaco (ea vrbis est Lutheranis, & Calvinistis referta) vicinus, immo principatus partem vi sibi Lutheranus in eo princeps vsurpet dux Vittembergensis. Hic multa ad Dei gloriam magno Catholicorum gaudio, hæreticorum confusione gesta sunt, quæ longum esset omnia per censere. Quædam etiam excursiones ad alia loca valde vtilis fuere. Deo inspirante sacerdos noster promiserat cuidem insigni viro, inimicitias multos iam annos gerenti cum ciue altero, si redirent mutuo in gratiam, fore vt vxor eius prægnans fœtum ederet optatissimum, antè enim multos ediderat emortuos. Ita factum Dei beneficio, vt pacificatione per nostrum facta, pareret illa fœliciter.

COLLE

COLLEGIVM RO-
THOMAGENSE.

RESTITVTVM est Collegium Rothoma-
gense, singulari Regis optimi liberalitate,
qui iudicauit operam Societatis ei vrbi esse neces-
sariam, quæ vt est amplissimæ ditionis Normani-
cæ facile princeps, ita grauissimè & periculosissi-
mè laborat hæresis morbo. Collegij negotia sere-
nissimo principi, Duci Monpenserio, cognato suo
ad Comitum normanica proficiscenti, singularibus
verbis commendauit: literis etiam datis ad ciues
institit, vt nobis non deessent: ita Dei beneficio
factum est, vt senatus ceterique ciuitatis ordines
certatim in Collegij restaurationem conspirarent.
Collectis aliquot aureorū millibus scholas & no-
trorū domicilia partim restituimus, partim prope-
diè restituemus. Interim septemdecim de Societa-
te hic agimus, in ijs vndecim sacerdotes. Hæresim
plures abiurarunt; nutantes in fide confirmari sūt;
interminari sunt in suo conuentu verbis grauissi-
mis hæretici, ne quis de suis ad nos veniret, aut li-
beros venire sineret; scholas etiã vicinas huic vrbi
aperuerūt, sed conatus eorum sensim dilabitur, &
ad nos parètes hæretici liberos suos aliquot misere-
runt. Sex humaniorum literarū classes aperuimus,
item Philosophiæ vnã; & vnã casuum conscientia;
in his fere mille octingenti numerantur schola-
stici, nobiles in ijs plurimi; sacerdotes bene multi,
iuuentus lectissima, & ex qua magnos virtutū fru-
ctus sperare diuina bonitas iubet. Scholarū angu-
stijs exclusi fere quadringenti magno suo dolore.

COLLE-

COLLEGIUM FLEXIENSE.

FLEXIA est Gallia oppidum in Ducatu Andegauensi, Flexiensis Baronatus caput, natiuum Henrici quarti, Christianissimi Regis Gallie, patrimonium. In ea Rex cum Societatem nostram in Galliam postliminio restituisset, statuit amplissimam Nostris Academiam instituere, regiaque munificentia perpetuis redditibus stabilire atque vt testatissimam suæ in nos beneuolentiæ significationem daret, voluit sedem Collegij nostri suam esse paternam domum, non artificio tantum operis, & magnificentia, sed multo etiam magis Regis ipsius satus, & educatione visendam, quam iam annum & amplius, nouemdecim de nostris circiter incolimus. Docemus scholis nouem; quatuor Grammaticæ (geminata quippe ob discipulorum multitudinem tertia) vna humanitatis, altera Rhetoricæ; philosophiæ duabus; Theologiæ moralis vnâ. Conflatus discipulorum numerus accedit ad mille ducentos, ex quibus multi sunt ex præcipua nobilitate regni Gallia, in ijsque aliquot ab ipso Rege huc missi ad omnem virtutis, & disciplinæ laudem informandi. De hac iuuentute certe vniuersim loquendo, verè dici potest, eam esse lectissimam, tractabilem, facilem ad accipiendos satus pietatis & literarum, quæ nunc floret omni exercitatione ingenuâ disciplinæ humanioris. Excepti sunt ab ea varijs dramatis primores Gallia; in ijs semel & iterum Dominus Delauarensis, vir diuturna consuetudine

suetudine

suetudine & eximijs in vtraque fortuna in Regem officijs, Regi apprime carus, quo in restituenda in Galliam Societate, maximeque hoc constituendo Collegio etiamnum vtitur. Cuique accepisset filium Mareschali vnus Gallix, qui tunc in Regiâ versabatur, flexiæ præmio donatum esse, misit illico certum hominem, qui id suis verbis significaret, & gratularetur parenti: credi vix queat, quam aueat Princeps humanissimus audire de rebus sui Collegij, quàm sæpe de eo comiterque percontetur: catalogos librorum, qui hic exponuntur; theses philosophicas; synopses Dramatum, quæ hic habentur, excepit cum magna voluptatis significatione, interdum etiam tanquam res sibi charissimas in intimo suo conclam feruat. At non literis modo, verum etiam spiritualibus Societatis muneribus, concionibus præsertim habendis Quadragesimæ temporibus domi, forisque, catecheticis puerorum institutionibus, Confessionibus, & cæteris huiusmodi vticatum est diligenter.

C O L L E G I V M R H E D O N E N S E.

S O C I E T A S dudum non solum ab Armoriceis petita, verum etiam summis votis expectata, hoc demum anno Rhedonis (ea est ciuitas totius Prouinciæ caput) sedem fixit, scholasque tra aperuit: idque eo ciuium concursu, ea senarum beneuolentia, ea Discipulorum frequentia, vt vel maior à Societate sperari, vel ab illis præstari nullo modo potuerit. Nam cum pridie illius diei

Reuerendissimus.

Reuerendissimus Antistes ad Collegium solemniter, atque ordine cum clero vniuerso, summisque curiæ Patribus, nec non vrbs Magistratu conuenisset, in sacello nostro sacris ea pompa operatus est, qua pontifices solent. Confluxit ad solemnitatem vndequaque populus, qua per hortos, qua per vicinas ædes, qua demum spes aditus sese aperire videbatur. Omnium in frontibus beneuolum animum; in gestu lætitiã; in voce, ac verbis congratulationem legisses. Quam quidem testatiorem fecerunt, dum cœlo pluuio, atque aère frigidiorẽ, ita pertinaciter ipsi externis sacelli parietibus affixi, pendentisque hæserunt, vt non prius ea beneuolentiæ significatio, quam tremendum mysterium, finem habuerit Matutini temporis, pompam dicam an pietatem? excepit panegyricus Regi Christianissimo, Henrico quarto, Societatis in Francia non tam restauratori, quam parenti optimo dictus; Magno item Ciuitatis, atq; in primis senatorij ordinis, concursu & approbatione. Mira est nationis huius in Societatem beneuolentiã, comitas, mirum denique in rebus, quæ ad eam pertinent, promouendis studium. Nominatim autem clerus, vt quam de nobis animo concepisset opinionem, clarius testaretur, ter mille & quadringentos circiter aureos Collegio stabiliendo liberaliter contulit. Numerat gymnasium nostrum in tribus humanioris literaturæ classibus scholasticos circiter nongentos; inter eos, nobiles quam plurimos, plures numeraturum, si capere posset. Ex Religiosis familijs vix est vlla, quæ nobis alumnos suos Societatis operã informandos non commiserit.


DOMVS

DOMVS PROBATIONIS NANCEIANA.

HABET hæc domus veteranos septem, Tyrones vnum supra quadraginta, numerum longe ampliorem habitura, si tecti angustiae parerentur. Ex nouitijs vnus constantia probata, magna ciuitatis Rhemensis adhibita contentione, vt eum ad depositum scholastici & concionatoris munus reuocaret, quod impetrare tamen non potuit: duo nouitij admodum adolentes, ad urbem Niuernensem, in qua nobis olim sedes fuerat, appulerunt eo consilio, vt cibarijs aliquot precario collectis, ex vrbe postmodum egredierentur: Ecce tibi de eorum aduentu Magistratus certiores facti coniunctis animis, ad peregrinos aduolant, eos solemni epulo ex vrbis ærario de communi sententia extracto, quàm magnificentissime excipiunt, non minore collegij à se distracti dolore affecti, quàm eiusdem restorationis desiderio flagrant. Neque vero beneficis eorum animus intra vrbis mœnia se continuit, etiam ex vrbe processit foras: conducunt hominem, qui portis excedentes ad multa milliaria deducat, diuersorijs data pecunia satisfaciat; denique missos factos aureis duobus numeratis, in reliqui itineris confectionem donet. Magnum etiam hæc domus fructum ex doctrina Christiana, & concionibus tum in ciuitate, tum alijs in locis, consequuta est: maxime vero sacri ieiunij tempore in pagis septemdecim. Quidam inani spectro offensus, dæmonem sibi semper obuersari

ri putabat, qui ei neque diurnæ, neque nocturnæ quietis horam vllam impertiebatur; coniux de viri sui calamitate laborans, ad ædes nostras eum adducit. Vni de nostris datur negotium, qui hominem ad eluendas animi maculas adhortatus, Agnum ei cereum elargitur; præſenti animo eſſe iubet; huius conſilij ſpem non feſellit euentus: Nam poſt octiduum, domum noſtram repetens, omnia hæc excuſſa eſſe terriculamenta, ſummâ placidi animi teſtificatione declarauit. Octo hæretici noſtris tum publicis, tum priuatis ſermonibus impulſi, aliquando de obducta animi caligine excutienda cogitarunt. Itaque errorem ſuum adhibitis teſtibus non paucis eiurarunt palam. Magna omnino Reuerendiſſimi Domini Abbatis Bellopratensis, viri è nobiliſſima Lenoncurtiorum familia, ſereniſſimo Lothoringiæ Duci à conſilijs intimis, liberalitas erga nos exiit. Hic ædibus ſuis, nobis in domicilium attributis, templum ſuis ſumptibus excitatum adiunxit; æquum eſſe ratus, cum ſerui à Domino ſeiuncti eſſe non debeant, qui ſeruis domum conceſſiſſet, eorum etiam Domino abs ſe extrui. Templum autem in crucis formam diductum, ſeptem altaria equo inter ſe ſpatio digeſta complectitur, ſic ornatum, vt vrbi quoque ſit ornamento. Nam ſeſe in conſpectu totius ciuitatis efferens, alijs ædibus eminente turris factigio dominatur: ſtructura tantæ elegantiæ eſt, vt omnia, quæ in Gallia habemus, concinnitate ſuperet. Vix Domini Bellopratensis conſilium de templo extruendo ſeſe protulerat, cum ſubito multi prodeunt, qui quod ei totius operis laudem nollent præripere, in eius partem donis ad eius ornatum cumulate congeſtis venire cupierunt;

cupierunt; ille ædis ipsius molem, ædiculas alijs, variaque desuper ornamenta destinarent, quo in genere ceteris omnibus, vt dignitate, sic munificētia, illustrissima Ducis Lotharingę domus, prestitit, quæ tantam hac æde locupletanda studiorū coniunctionem ostendit, vt omnes inibi suæ liberalitatis voluerint extare monumentum.



P R O V I N C I A
A V S T R I Æ.

C O N S T A T hæc Prouincia Socijs triginta nouē supra quadringentos, distributis in sedes viginti tres, nempe in tredecim Collegia, quinque Residentias & totidem Missiones. Sacerdotes sunt octoginta quinque, Nouitij quinquaginta. Magistrorum & Coadiutorum certus numerus iniri non potuit: quod in singulis Collegijs non exprimeretur. In Collegio Viennensi fuerunt quadraginta nouem; in Gracensi octoginta nouem; in Pragensi quadraginta; in Olomucensi triginta duo; in Selliensi vnus & viginti; in Crumlouienti sexdecim; in Commorouienti vndeuiginti; in Nouodomensi viginti sex; in Labacensi duodeuiginti; in Glacensi tredecim; in Clangensfurtenſi octo; in domo probationis Brunensi quinquaginta septem. In Residentia sancti Bernardi sex; in Thurociensi tredecim; in Millestadiensis quinque; in Lincensi tres. In Missionē vero Iudenburgensi tres; in Soouariensi & Lifcana vnus; in Cassouienti quatuor; in Leuchouienti